

insisteret. Bellum ea tempestate nullum, nisi adversus Germanos, supererat: abolendae magis infamiae, ob amissum cum Quinctilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi imperii, aut dignum ob praemium. Domi res tranquillae: eadem magistratuum vocabula: juniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati. Quotusquisque reliquus, qui rempublicam vidisset?

IV. Igitur verso civitatis statu, nihil usquam prisci et integri moris: omnes, exuta aequalitate, jussa principis adspectare; nulla in praesens formidine, dum Augustus aetate validus, seque et domum, et pacem sustentavit. Postquam proventa jam senectus, aegro et corpore fatigabatur, aderatque finis, et spes novae: pauci bona libertatis incassum disserere: plures bellum pavescere, alii cupere. Pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant: «trucem Agrippam, et ignominia accensum, non aetate, neque rerum experientia tantae moli parem: Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia: multaue indicia saevitiae, quamquam premantur, erumpere. Hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice: congestos juveni consulatus, triumphos: ne iis quidem annis, quibus Rhodi, specie secessus, exulem egerit, aliquid quam iram et simulationem, et secretas libidines meditatum. Accedere matrem muliebri impotentia; serviendum foeminae, duobusque insuper adolescentibus, qui rempublicam interim premant, quandoque distrabant.»

V. Haec atque talia agitantibus, gravescere valetudo Augusti: et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat, paucos ante menses, Augustum, electis consciis et comite uno, Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam: multas illic utrimque lacrimas, et signa caritatis, spemque ex eo, fore, ut juvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae: gnarum id Caesari: neque multo post extincto